

DISSERTATIO ACADEMICA

3.

SISTENS

*EPINICIUM DEBORÆ JUD. CAP. V.  
NOTIS PHILOLOGICIS & EXEGETICIS  
ILLUSTRATUM,*

*CUJUS PARTEM TERTIAM,*

*CONS. AMPL. FACULT. PHILOS. ABOëNSI,  
PUBLICO PROPONUNT EXAMINI.*

*Mag. CAROL. JAC. A TENGSTRÖM,  
Litt. Orient. Docens,*

ET

*RESPONDENS*

*ANDREAS MICHAËL LUNDENIUS,  
Borealis..*

In Auditorio Medico die XVIII Aprilis MDCCCXII

h. p. m. s.

---

*ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.*



Bellatoribus potentibus repente in fugam  
conversis.

V. 23-

fuit (verbo quidem a <sup>שָׁלַךְ</sup> flaccus formato) quod ad ungulas equi translatum pr. eset: *flaccidae erant ungulæ*, h. e. *cæspitabant*, ut in equis evenit terrore inopinato perculpis. Huic interpretationi multi assentiunt; neque nos illam plane respuere audemus. Quum vero infra v. 26 notione *tundendi & feriendi* <sup>רֹאשׁ</sup> manifeste obveniat, hanc notionem etiam b. l. uti per se fatis amplexati sumus. — *רֹהֶרֶת* sine dubio *cursum* denotat *concitatum*, quamvis ingenue fatendum, dialectos cognatas heic parum afferre lucis. <sup>فَرْجَى</sup> in l. Arab. per se significat *fortunam*, sed tamen in quadrilitteris quibusdam ex hoc nomine formatis, *celeritatis* deprehendimus notionem ut & TREDELENBURG (Repert. f. Bibl. u. Morgenl. Litt. P. XII. p. 240) observavit; e. g. <sup>فَهْرَجَةُ</sup> *celer* compos. ex <sup>فَهْرَجَ</sup> & <sup>كَسَّ</sup> *gressus*, nec non <sup>فَلَكَّ</sup> *ruit* e. f. p. LXX habent *σπουδὴ επευστῶν*, & Chald. <sup>פְּנוּכוֹת</sup> quod pr. non est *fremitus* sed *saltus*, (*galopp*) ut in radicis hujus vocabuli prima notione videmus. Sic etiam Vulgat. Præterea <sup>סִסְמָה</sup> *רֹהֶרֶת* quod Nah. III: 2 legitur, veteres etiam Interpretes de equo cursu concitato se projiciente sumserunt. — Repetitio vocis <sup>רֹהֶרֶת</sup> vehementiam & celeritatem maximam, qua hostes in fugam convertebantur, indicat. — <sup>אֲכֻרִים</sup> *multi cum SCHNURRERO & aliis quibusdam, equos fortes & generosos transferunt, oppositos nempe equis vulgaribus & minoris*

V. 23. Maledicite Meros, dicit nuncius Jehovæ,  
 Maledicite ejus incolis,  
 Quia non venerunt in auxilium Jehovæ,  
 In auxilium Jehovæ contra potentes.

V. 24.

*pretii*, quo quidem pacto sensus hujus versus esset:  
 equi gregarii a fortibus & nobilibus in angustias acti,  
 præ impatientia fugæ unguis terram tundebant. Aptior  
 tamen explicatio, quam in versione retinuimus, vel ex  
 eo capite esse videtur, quod posterius hemistichium ra-  
 tiones jam affert, quare terram equi unguis feriebant;  
 & nonne potius eam ob causam factum esse credas,  
 quod ab equitibus suis præcipites in fugam acti sint,  
 quam quod in angustias redacti, illam suomet compulsi  
 terrore ceperint?

V. 23. *Meros* Urbs aliunde ignota, tamen, ut videtur e  
 tribu quadam ad bellum evocata, huic vero dicto non  
 obedienti. — וְהַרְחָם פָּלָאךְ varie redditur; maxime ta-  
 men probabilis sententia esse videtur, BARAKUM vel  
 DEBORAM heic respici, cum scil. divino Numinis afflato  
 jam supra laudatam expeditionem suscepissent. — לְעֹזֶת וְרַחֲמָה neminem offendet, qui meminerit Jehovam  
 ipsum in toto hocce cantico, Ducem exercitus Israëlitici  
 haberet. Hic ipse fuit, qui, tempestate repente exorta  
 (vv. 20, 21), Cananitici exercitus molem prostravit;  
 Ipsi igitur opem tulisse feruntur tribus Israëliticæ supra  
 nominatæ; *Meros* vero opem suam Jehovæ quasi sub-  
 traxisse, Vates hic arguit. — בְּגִבְרִים de hostibus  
 h. l. intelligimus, quamvis alii quidam hanc vocem de  
 Israëlitis explicuerint. Præterquam enim quod Cananitæ

V. 24. Benedicta sit in mulieribus Jaël

Uxor Heberi Kenitæ,

Benedicta præ mulieribus in tentoriis degen-  
tibus.

V. 25.

omnibus locis, quibus in hocce cantico eorum sit men-  
tio, Israëlitis oppositi, potentes, validi e. s. p. vocantur,  
ctiam hoc accedit, quod eadem vox versu 13 occurrat,  
ubi non modo e contextu, verum etiam e parallelismo  
supclare appetet, hostes validos intelligi debere.

V. 24. Laudatis jam tribibus Israëliticis, quæ pericula  
belli adierant, nec non notatis quæ domi sele retinuerant,  
Vates tandem ad justas Jaëlis intrepidæ foeminæ laudes  
celebrandas pergit. Illa sc. fastigium operi, trucidando  
*Sisram*, hostilis exercitus ducem, quasi impostuit, hacque  
ipsa re non modo civium suorum, verum etiam sequen-  
tium seculorum laudes meruisse aestimata est. Mirandum  
igitur, multos factum *Jaëli* secundum nostram morum  
disciplinam & cogitandi rationem dijudicasse, adeoque  
illud potius vituperandum, quam laudibus efferendum  
censuisse. Quis vero in hoc loco dijudicando prisorum  
belligandi modum non cogitabit? Nonne in ipso  
HOMERO æque nefanda offendimus facinora, e. g. Doloni-  
nis trucidationem Iliad. Rhaps. X? alia ut taceam. Quis  
vero serio urgere vellet, *Jaëli* non licuisse, exercitus  
hostilis ducem vita privare? — תְּבִרֵךְ Fut. Py. benedice-  
tur, loquendi formula etiam Nov. Test. Scriptoribus  
usitata, e. c. Luc. I: 42. — כָּהֵל מַנְשִׁיכָה potissimum  
de uxoribus virorum, vitam pastoralem degentium, est  
intelligendum, cum Jud. IV: 11 expresse dicatur, *He-  
berum* fuisse nomadem.

V. 25. Aquam petivit, lac vero dedit;  
In phiala pretiosa obtulit lac spisum (s. oxy-  
galam.)

V. 26.

V. 25. **לְנָשׁוֹת** petit scil. *Sifra* Jud. IV: 17 — 21. — **נַחֲנָה** Jaëlem respicit. — **בְּכָה** vas quoddam denotare, inter alia Jud. VI: 38 probat; unde vero hæcce vox sit derivanda, facile non est ad definiendum. Multi illam a. r. Arab. **فَلْ** *humilis* fuit derivant, vertuntque *vas humile* e. s. p.; ex hac vero sola ratione, nostro saltim judicio, notionem *vasis humilis* & *depressi* facile haudquaquam deduxeris, cum nihil in ipsa radice sit, quod accuratius hanc notionem determininet. TRENDENBURG igitur l. c. confert Arab. **غَلْ** *gutturnium*; quo vero jure nescimus, cum insolita sit litterarum **ב** & **ש** permutatio; ipsa radix, ut nobis videtur, latet. — **לְפָה** **אַוְרִיָּה** pr. *phiala nobilium*, est *phiala pretiosa*, quali uti solent nobiles. — **חַנְמָה** versiones omnes antiquæ in Polygl. *butyrum* reddunt; quam vero inepte & contextus & ipsa vocis radix probant. Arab. **لَحْمَة** est *spissum* *fuit lac*; aptiusne itaque **חַנְמָה** *lac coagulatum* vertitur, quam *butyrum*? Quare & hoc loco **חַנְמָה** a recentioris ævi Interpretibus plerisque per *lac Camelinum coagulatum* explicatur, quod quidem ut inebrians simul ab illis describitur, OEDMANN vero l. c. P. VI. p. 121, auctore NIEBUHR in itinere Arabico, contendit, laeti Camelino hanc vim non inesse (nisi more Tatarico destilletur in *Kumys* notissimum), sed potius pro refrigeratorio, s. refectionis gratia adhiberi, quamobrem etiam viatoribus per deserta iter facientibus aquæ emendandæ inservire

V. 26. Sinistram ad clavum tentorii tetendit,  
Dextram vero ad gravem malleum,  
Et percusserit Sifram, contudit caput ejus,  
Concussit & perfodit tempora illius.

F

V. 27.

---

folet. Causa igitur, cur *Sifra* profundo adeo somno fuerit  
obratus, in eo quærenda videtur, quod summa post  
confestum cruentum prælium lassitudine correptus fuerit,  
& quidem requiei se tanto securius dederit, quod in  
intimo tentorio cubaret viri (*Heberi* scil.) facro hospitii  
jure *Zabino* junctissimi.

V. 26. יְרָח h. l. oppositum ταῦ μιγάχ εἰς est *sinistra* ejus. —  
תְּשַׁלְּחָנָה non est plur. ut primo intuitu videri posset,  
sed 3:a pers. sing. Fut. Kal, cum נ epentheth. & ה para-  
gogico (Cfr. Obad. 13); quare nec opus est cum quibus-  
dam pro hac voce legere תְּשַׁלְּחָנָה. — הַלְמֹות עֲמָלֵיכָה pr. *malleus operariorum*, h. l. *magnus*, *gravis*, quali  
utuntur operarii. tamen MICHAELIS (*Suppl. ad Lex. Hebr.*) per potum *inebriantem* transfert, & quidem ab  
Arab. פָּלָק *flaccus*, *flacidus* (unde etiam הַלְמֹת h. l.  
transfert *inebriavit*) deducit, qua ex voce item v. 22 no-  
tionem *cæpitandi* ταῦ *חָלֵם* derivavit. Cum vero omnes  
versiones antiquæ consentiant, hanc vocem *malleum* si-  
gnificare, inde tanto minus discedendum est, quod sensum  
idoneum omnino hoc loco ponat. Sic etiam notio *tun-  
dendi* verbi *חָלֵם* firmissimis fundamentis inniti videtur;  
nam quæ MICHAELIS contra hanc notionem attulit, ni-  
mis quæsita videntur. — פְּחַד Arab. مَكْفَر pr. *abolivit*,  
*delevit*, h. l. *vehementer percusserit*. ἀπαξ λεγομ. — חָלֵם

V. 27. Ad pedes ejus sese contorsit & inanimus  
jacuit,

Ad pedes ejus sese contorsit & jacuit,  
Ubi sese contorsit, ibi jacuit imperfectus.

V. 28. Per fenestram prospexit Mater Sisræ  
Et per cancellos anxie clamavit:

Quare

---

*perfodit* aptissime vertitur; nam heic jam indicatur, quid  
paxillo tentorii effecerit *Jarl*. Cfr. Jud. IV: 21. SCHNUR-  
RER מִצְחָה וּרְלֶפֶת conjungit, vertitque *concusit* & alter-  
nis pedibus calcavit tempus ejus; haec vero notio  
תַּזְקֵלָה, ut KÖHLER recte observavit, idoneis haud ni-  
titur argumentis.

V. 27. בֵּין pr. *inter*, h. l. *ad*, similiter ac Arabes  
בֵּין יָדֵין *inter*, h. e. *ad manus ejus*. — incurvavit  
se, respicit agitationes convulsivas & vehementes mori-  
bundi *Sisra*, quam itaque ideam vocabulo *contorsit* in  
versione expressimus. — נִפְלֵא h. l. per *cedidit* transferre  
non convenit, quia *Sisra*, jam antequam a *Jarle* interfici-  
eretur, dormisse fertur. Melius itaque *inanimus jacuit*,  
ut in aliis quibusdam S. S. locis, e. g. 1 Sam. XXXI:  
8 e. f. p., ubi de hostibus cæsis fit mentio. — שָׁרוֹשָׁ  
pr. *vastatus*, *perditus*, ad *Sisram* vero relatum *imperfectus*,  
cui notioni, si placet, cum SCHNURRERO addere posse,  
per hanc vocem etiam respici horribilem & teturum cor-  
poris cruenti & aninimi aspectum.

V. 28. In hocce & sequentibus versibus egregie omnino  
argumentum epinicij sui Vates in elegantissimam mutat

Quare cunctatur currus ejus?  
Quare morantur rotæ illius?

V. 29. Sapientiores fœminarum ejus principum responderunt,

Ipsa sibi dicta eadem retulit:

F 2

V. 30.

prosopopoëiam, qua Mater *Sifra* adventum filii triumphanturi anxie exspectans, loquens in scenam quasi inducitur. — וּבָבָב non nisi in Pi. & quidem in Sacro Codice hoc tantum loco occurrit, *clamavit, vociferatus est;* notio omnibus reliquis dialectis etiam confirmata. — אַשְׁנָנָה coll. Arab. شَنْب frigidus fuit, significat cancellos vel fenestras reticulatas tales, quales in Oriente adhuc ad refrigerandas domus usurpari, auctores sunt itinerum scriptores (*Faloufies* Galli vocant). Posset hæcce vox forsan etiam a נִשְׁבָּב spiravit per metathesin dictum derivari. — שְׁבָב non est præt. Pi. a בּוֹבָב erubuit, uti multi putarunt, sed potius part. Kal a בְּשָׁבָב cunctatus est, ut ex parallelismo & consequente רַחֲנָה appareret. — פְּעָמָה pr. pes, (forsan ab Arab. فَمٌ torosus fuit e. g. laertus), hinc metaphorice, cum de curru sit mentio, rota, quasi pes currus.

V. 29. שֶׁרֶה in propria significatione *foemina princeps* s. quæ *principatum tenet.* Fœminas itaque h. l. commemoratas æquiparare juvat nostris *Statsfruar*, quæ personam Reginæ s. fœminæ cuiusdam nobilioris jugiter circumdant & comitantur. — Verba תְּשִׁיבָה אֲמְרֵיה לְה in nostra versione rite expressa esse, non modo contextus, verum & plerique Interpretes, quos consulendi copia

V. 30. Spolia certe capient & divident,  
Puellam, binas immo, cuique viro,  
Vestes versicolores Sistræ  
Vestes versicolores acuque pictas,  
Stragulas tintætas & utrimque varias collis  
jumentorum captorū.

V. 31.

---

nobis data fuit, probant. Quæ itaque MICHAËLIS in sua versione in aliam mentem commentatur, nos, præeunte SCHNURRERO, textui haud bene convenire arbitramur.

V. 30. **רָחֵל** *puella*, a molitie sic dicta, ut Arab. **جَنِيَّةٌ** a molli & blando sermone. — **רְחַם** *רוּחַתִּים* TINGSTADIUS in versione sua bene, ut nobis videtur, per *en-säl två* --- exponit. — **רְקֹצָה** *כָּבֵר* in *caput viri*, i. e. cuique viro. — **צְבֻעָה** *צְבֻעָה* color, adeoque per metonym, quod *tinctum* & *coloratum* est, unde & pro *vestibus tintatis* & *versicoloribus* positum esse, vix est monendum. Idem de sequente **רְקֹצָה** valet, quod mox in forma duali occurrit ad designandas stragulas utrinque pictas. — Ratio, cur **לְלִיל** in membro posteriori per *jumenta capta* vertimus, in eo est querenda, quod, ut variis observarunt Interpretes, explicatio **לְצֹוָאָרִי** *et* alias nimis impedita videretur. Si enim **לְצֹוָאָרִי** ad homines, cum nonnullis Interpretibus, referremus, stragulæ illæ pretiosæ ad ipsos quoque pro ornamentis collorum referendæ, quæ tamen interpretatio nobis haud arridet. Si vero **שְׁלָל** per *jumenta capta* (Cfr. 1 Sam, XIV: 32) vertimus, omnibus nos tanto magis extricamus difficultatibus, quo certius ex

V. 31. Sic omnes inimici tui, Jehova, pereant,  
Tui autem amantes sint instar solis in vigore  
suo (s. fortiter) exorientis.

---

Jud. VIII: 21, 26 constet, illius temporis morem fuisse,  
colla jumentorum vario modo ornare. — Quis ceterum  
in hocce sermone muliebrem non observet levitatem,  
cum videat Matrem Sisræ non tam de illustri reportata  
victoria, nec de magno hostium captivorum numero,  
quam potius de spoliis opimis & ornamentis variis pre-  
tiosis præcipiti nimis spe triumphantem?

V. 31. Poëma suum Vates subita jam finit apostrophe,  
dira quævis hostibus imprecando, Israëlitis vero fausta  
quævis & felicia exoptando. Israëlitas nempe per  
**אַהֲרֹן** (forsan **אַבְנָן**?) heic intelligi, e versus hujus  
ultimis verbis satis constat; populus enim hicce, Deo  
præ alijs carus, e dura servitute tandem liberatus, avi-  
taque redditus libertati, cum sole, juvenili quasi vigo-  
re, dissipatis nubibus noctisque superatis tenebris ex-  
splendescente, eleganter comparatus.

---